

Johann Affelmann Johannes Clüver

**Disputatio Inauguralis De Verbis Divini Prophetae Zachariae Cap. 13. Framea  
Suscitare Super Pastorem Meum, &c.**

Rostochi[i]: Pedanus, 1623

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737589973>

Druck Freier  Zugang



Vert. : J. Clüver

J. Affelmann f.d.

R.U. theol. 1623.







DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

47  
VERBIS  
DIVINI PRO-  
PHETÆ ZACHARIÆ

CAP. 13. 7

FRAMEA SUSCITARE SUPER  
PASTOREM MEUM, &c.

*Quam*

Decreto & consensu Venerandæ Facultatis  
THEOLOGICÆ

*In alma & inelyta ROSTOCHINA Academiâ*

PRÆSIDE

IOHANNÉ AFFELMANNO

S. Theol. D. & Professore ordinario, p. t. Facultatis  
Theologicæ DE CANO,

PRO SUMMO IN THEOLOGIA GRADU  
*consequendo,*

*Candiæ disputantium examini subjiçit,*

M. JOHANNES CLUVERUS Crempâ-  
Stormarus, Ecclesiæ Marnensis in Dithmarsia  
Pastor.

*Habebitur in Auditorio Majori die 6. Majj horis matutinis  
& pomeridianis.*

ROSTOCHI

Excudebat Joachimus Pedanus, Acad. Typ. Anno 1623.



*SERENISSIMO ET POTENTIS-  
simo Principi ac Domino,*

**DN. CHRISTIANO IV.**  
Danicæ Norvegiæ, Gothorum Vandalo-  
rumq; Regi, Duci Slesvigæ, Holfatiæ Stormariæ &  
Dithmarsia, Comiti in Oldenburg &  
Delmenhorst.

*Patri Patriæ  
Fidei orthodoxæ defensori magno  
Circuli Saxonici per Dei gratiam  
Columnæ & præsidio,*

**DOMINO MEO CLEMENTISSIMO**

Disputationem hanc inauguralem,  
Regij favoris impetrandi  
Debitæ subjectionis declarandæ

*ergo*

*submissee dico & consecro*

**M. JOHANNES CLUVERUS**  
Ecclesiæ Marnensis in Dith-  
marsia Pastor.







## THESIS I.

**P**Assurum fuisse Messiam  
& sic ingressurum gloriam suam  
contra Judæos sui temporis tam  
ipse DOMINUS JESUS quam  
Apostoli, sapissimè ex Lege Psal-  
mis Prophetisq; comprobarunt.  
Quo nomine inter alia plura, vi-  
deantur loca Luc. 24. v. 26. 27. 46.  
47. Act. 2, 31. 3, 18. 26, 23. 28, 23.

### II.

Quâ ratione & scandalum crucis prævertere & carna-  
lia de Christo somnia, quibus multa prophetarum oracula,  
specietenus adblandiri Videbantur, solidè refutare consue-  
verunt.

### III.

Ac sunt sanè non pauci celebres & irrefragabiles Vete-  
ris Scripturæ loci, quibus ut passiones Messix clarè prædicun-  
tur, ita quæ eisdem exceptura sit regni ejus magnificentia,  
repræsentatur. Quos si singulatim vellem percensere ex-  
plicare & à Judæorum ac Judaizantium quorundam cavilla-  
tionibus vindicare, non paucis hisce pagellis, sed integro nec  
minimo volumine esset opus. Inpræsens quia & temporis  
*ratio habenda & officij est*, nonnullos digito monstrasse suf-  
ciat.

### IV.

Primus est Gen. 3, 15. quem *πρῶτον ἀγγέλιον* rectissimè  
appel-



appellaveris, quo non contritio tantum capitis serpenti  
per semen mulieris, hoc est, Christum, sed & vicissim con-  
tritio calcanei Messiae per serpentem futura disertè asseri-  
tur. Quarum illa gloriosam Filij hominis de Diabolo vi-  
ctoriam, hæc passionem à Dracone serpente antiquo vicis-  
sim ipsi excitandam eleganter & verè demonstrat.

V.

Alter esto Gen. 49, n. quem S. Justinus Philosophus &  
Martyr olim in suo cum Tryphone Judæo Dialogo pulchrè  
explicuit. Lavabit in vino stolam suam & in sanguine uvæ  
pallium suum. τὸ τῶ ἀίματι (inquit) ἀποπλύνω τὴν περικε-  
ραυτὴν αὐτῶ ἐδήλα· πάλιν γὰρ αὐτὸ ἐκάλει τὸ ἄγιον πῶμα  
τοῦ δι' αὐτὸ ἄφειν ἀμαρτιῶν λαβόντος. Ἐν οἷς αἰεὶ δυνά-  
μει μὴ πάρεσι, ἐναργῶς ἡ πάρεσι ἐν τῇ δόξῃ αὐτῶ παρ-  
σία. τὸ ἡ ἀίμα τῆς σεφυλῆς ἀπὸ τῆς τέχνης δεδηλωκεν, ὅτι  
αἷμα μὴ ἔχει ὁ χειρὸς σὲν ἐξ ἀνθρώπου σπέρματι, ἀλλ' ἐκ  
τῆς τῶ θεῶ δυνάμεως ὅτι γὰρ τέρπειν τὸ τῆς ἀμπέλα ἀίμα σὲν  
ἀνθρώπου ἐγγήνησεν, ἀλλὰ θεοῦ· ἕως ἡ τὸ τῶ χειρὸς ἀίμα σὲν ἐξ  
ἀνθρώπου ἔστι γένος ἐσοδαί, ἀλλ' ἐκ τῶ θεῶ δυνάμεως περιεμύου-  
σεν ἡ ἡ σεφητεία αὐτῆ ἰπιδεικνύει, ὅτι σὲν ἔστι ὁ χειρὸς  
ἀνθρώπου ἐξ ἀνθρώπων καὶ τὸ κοινὸν τῶν ἀνθρώπων γνή-  
θεις.

VI.

Atq; hîc sicut & sæpe aliàs minimè placet Junio - Tre-  
melliana annotatio, quâ varicinium patriarchæ de terrenâ  
tribus Judæ hæreditate accipitur, ut sit sensus: Ejus regio  
futura est vitifera, adeò ut quemadmodum alibi rustici ju-  
menta sua ad vepres & arbuta ligant, sic posteri lehudæ  
præ copia vini & firmitate vitium etiam ad præstantissimas  
ea ligaturi sint, tantamq; vini fore abundantiam, ut possit uti  
ad vestes lavandas aquæ loco, hyperbolicâ locutione. Nam

L. CUR



1. cur interrumpitur contextus series, qui jam manifestè incepit de Christo loqui? Deinde parum concinnus est hyperpolica istius phraseos sensus, multoq; melior illo ac divinior, quem sancti patres attulerunt. 3. Quæ sequuntur de rubedine oculorum candoreq; dentium rectius de perspicaciâ Iudicij ac sinceritate sermonis Christi, quàm de corporali benedictione Judæorum quis interpretabitur. Quamquam enim vinum immoderatus sumtum oculorum rubedinem gignit. Proverb. 23, 29. tamen in vitio illa ponitur, nequaquam benedictionis censetur loco.

#### VII.

Clarius passiones Christi secuturamq; gloriam prænunciârunt Psalmi Davidis, puta 2. 8. 16. 22. 40. 41. 55. 68. 69. 72. 109. 110. 118. Quos omnes non de Davide, sed de Christo propriè & literaliter explicandos cum Christi ipsius & Apostolorum magisterio, tum ipsorum contextuum suffragio adductus statuo, utcumq; hic Judaizantibus quibusdam Calvinianis diversum arrideat.

#### VIII.

Prophetarum oracula de iisdem Christi passionibus immensam ejus gloriam præcessuris itidem manifestissima sunt Esa. 50. 53. Dan. 9. Hof. 13. Zach. 9. & 11. Item c. 12, 10. Inter quæ non minimum est illud, quod nunc excutiendum sumus cap. 13, 7. &c.

#### IX.

Perspicuis hisce testimonijs suscenturiantur typi sub lege significantissimi, ut Hostiæ pro peccato omnes, mandata immolatio Isaaci, mactatio Paschalis agni, Exaltatio anei serpentis in deserto. Item, Quod *χωρις αυγης* *χουρας* sub lege nulla remissio, alijq; multi his similes.

A 3

Addun-



## X.

Adduntur à sanctis quibusdam patribus alia Mosis, Psalmodum & prophetarum sententiæ, quibus illi easdem res præmonstrari arbitrati sunt.

## XI.

Talis est illa apud Mosen Deut. 28, 66. quam de Christo suspenso Justinus, Irenæus multiq; alij exponunt, Et erit Vita tua pendens ante oculos tuos.

## XII.

Similiter Psalmus tertius cum plurimis alijs, quos Justinus Martyr, Augustinus, Arnobius, Cassiodorus alijq; veteres, cum recentioribus non paucis, de Christo interpretati sunt.

## XIII.

Illud Jerem. 11, 19. Ego ut agnus innocens qui adducitur ut sacrificetur. Super me cogitaverunt cogitationem malam dicentes, venite mittamus lignum in Panem ejus, & tollamus eum è terrâ viventium, ut nominis ejus posthac nulla fiat mentio, idem Justinus de Christi supplicio & Judæorum adversus ipsum consultatione intelligit atq; ob id suo seculo à Judæis è LXX. Interp. versione erasum affirmat, nunc tamen nostris in Codicibus reperitur, ac à nonnullis hujus seculi Doctoribus eodem sensu allegatur, quem sancti *γρηγοριου* esse pronunciare non audeo.

## XIV.

Aliud quod ex eodem Jeremia dicto cum Tryphone dialogo Justinus & post ipsum Irenæus l. 5. pag. 620. allegant, nostrâ in versione hodiè haud quaquam invenitur, Est autem tale: Recordatus est Dominus Deus mortuorum suorum ex Israele, qui obdormierunt in terrâ aggeris & descendit ad eas, ut Evangelizaret, & læto eis significaret nuncio salutare



salutare suum. Similiter nec Græci nec Hebræi libri legunt,  
quod expunctum dicit è Psalm. 95, 10. *ἀπὸ τοῦ ξύλου*. Dicitè  
in gentibus, Dominus regnavit à ligno.

XV.

Sed de istis & similibus patrum stipulis prolixius differere  
nunc non est locus. Fiet id cum Deo alibi.

XVI.

Sic etiam de crucis mysterio, quàm multipliciter id  
præfiguratum arbitrentur veteres longum nunc esset expo-  
nere. Solius Hieronymi verba quædam juvat adscribere.  
Hic (inquit) adest Isaac cum lignis, & Abraham cum arie-  
te vepribus hærente. Hic etiam Joseph cum fascè somnia-  
tor & tunicâ talari sanguine lotâ, Hic est botrus in ligno  
portatus: Hic adest Elisæus cum ligno ad quarendam secu-  
rim, quæ in imo demersa est & natavit ad lignum, hoc est  
genus humanum, quod à ligno vetito in infernum decidit,  
per lignum crucis Christi & per baptismum aquæ ad paradi-  
sum natavit. Hic adest Jonas de ligno sorte in mare ven-  
tremq; ceti triduo missus. Item: Crux postibus & superli-  
minaribus domorum figurata describitur, quæ sanguine  
agni delibuta exterminatorem primogenitorum Ægypti ne  
ingrederetur propulit. Hac est virga Mosaica, quæ mare  
rubrum percutiens divisit aquas & traducto Dei populo Re-  
gem Ægyptium cum toto equitatu submersit. Hac eadem  
bis silicem percutiens aquam longo fluxu eduxit. Ipsius fi-  
guram atq; formam manibus extensis referens Moses super-  
bum Amalec pugnam cientem atq; in populum Dei ductan-  
tem exercitum oratione ad Deum factâ vicit. Hucusq; Hie-  
ronymus, cui affinia scribit Justinus quiq; eum sequuntur  
complures alij.

XVII.

Cæterum inter ea, quæ Christi passiones earumque  
exitum



exitum in veteri Testamento prænuñciant, comprimis  
excellent istud Zachariæ XIII. ab ipso Domino allegatum, cum  
ad certamen subeundum extra Hierosolimam prodiret, & ex  
eo tam suam afflictionem, quam discipulorum offensionem  
prædiceret. Cujus partes tres statuo, quarum primâ Quis,  
alterâ Quid passurus, Tertiâ Quæ passionem subsequutura  
sint, indicetur.

### XVIII.

Cum enim de felici veri cultus divini sub novo fœdere  
successu vaticinatus esset propheta, eoq; tanto, ut parentum  
zelò falsos prophetas etiam proprios filios refutandos casti-  
gandos & abolendos esse significaret, non importunum vi-  
debatur Christi ipsius, qui ceu falsus propheta à Synagogâ  
matre suâ puniendus erat, supplicium commemorare, pri-  
mò ne quis easdem ipsius & Pseudo doctorum poenæ ratio-  
nes putaret, indeq; scandalum caperet; Deinde ne quæ pijs  
hujus Pastoris asseclis & imitatoribus eventuræ erant pro-  
bationis gratiâ calamitates eodem cum *unusquis* improbo-  
rum censu haberet.

### XIX.

Primum igitur membrum quòd attinet, vocat eum,  
qui percutiendus sit, Deus Pastorem suum & virum sibi  
proximum. Framea, inquit, excitare super Pastorem meum,  
& super virum coherentem mihi. Percutiam Pastorem,  
inquit Dominus exercituum. Pastoris titulus passim tri-  
buitur Christo apud Prophetas Esa. 40, 11. Ezech. 34, 23. 37,  
24. Mich. 5, 4. Zach. 11, 4. 5. 7. indeq; sibi nomen illud jure  
summo vindicat Joh. 10, 11. 14. 1. Quia oves ipsius sunt pro-  
priæ tam creationis quam redemptionis jure. 2. Quia novit  
eas universas & singulas. 3. Diligit adeò, ut animam pro eis  
ponat. 4. Pastoralis curâ prosequitur, quæ consistit in pascen-  
do, potando, educendo, reducendo, præcundo, congre-  
gando,



gando, amplificando grege, in sanandis vulneratis, sublevandis infirmis, revocandis errantibus, custodiendis sanis. Ezech. 34, 15. 16. Luc. 15, 4. Matth. 18, 12. Esa. 49, 9. 10. Psal. 23, 1. 2. 3.

XX.

Dicitur *Pastor Dei*, quia ab ipso singulariter excitatus, ipsius voluntate & consilio missus, ejus consilio & legi per omnia conformis est, quemadmodum hoc ipsum exponit passim Dominus.

XXI.

Quibus ritè expensis sequitur dulcissimum & convenientissimum esse hunc Christi titulum, quo 1. *Regalis* ejus dignitas, dum videlicet regit, pascit ac tuetur oves. 2. *Pontificalis* sanctitas & efficacia, dum vitam pro earum salute ponit & 3. *Prophetica* autoritas, dum præt educit reducitq; eas, monstratur.

XXII.

Porro *רַעַי רֵעִי* virum proximum appellando *רַעַי רֵעִי* innuit hunc Pastorem fore. Virum putà ratione humanitatis: Proximum suum vel (sicut habet vulgata) sibi coherentem respectu divinitatis. Quis enim Deo aequalis nisi Deus? Quis similis & cohærens omnipotenti nisi Filius? de quo affirmat scriptura, quod *apud Deum sit à principio*, Joh. 1, 2. *antequam mundus fieret*. c. 17, 5. Prouerb. 8, 30. Deducitur enim *רַעַי* ab *רַעַי* quod est juxta, secundum, è regione Eccl. 5, 15. Exod. 25, 27, 1. Reg. 7, 20. 2. Sam. 16, 13. Ezech. 1, 20. 45, 7.

XXIII.

Et apropter socius seu proximus Dei, qui juxta & apud eum, eiq; similis seu aequalis est, nemo rectè & propriè appellabitur nisi *unigenitus filius, qui in sinu patris* Joh. 1, 18.

B

Et



Et spiritum qui in ipso. 1. Cor. 2, 10. 11. coram ipso & penes ipsum  
est. Apoc. 1, 4. 5, 6.

XXIV.

U<sup>s</sup>us igitur primi membri hic est, ut 1. notetur pro doctrina  
Messiani quidem Deum esse & hominem, at unum ta-  
men Pastorem non duos, adeoq; duas naturas in unum coisse  
ὁμογενῆς, id quod ὁμολογητέως magnum est pietatis myste-  
ριον.

XXV.

Causas autem fuisse hujus incomparabilis mysterij ma-  
ximas, cur Redemptorem mundi utriusq; naturæ partici-  
pem esse oportuerit. Divinitatis scilicet. 1. Ut posset me-  
reri obedientiam suam alijs. Creatura enim per & pro se ad o-  
bedientiam obligata est, nec alijs communicare habet meri-  
tum. 2. Ut Satanam ejusq; socios vincere ac infernale re-  
gnum evertere valeret. Isti enim rei merus homo purave  
creatura minimè sufficeret. 3. Ut sustinere molem iræ Dei  
pœnarumq; omnium peccatis debitaram & vincere. 4. Ut  
rueri subditos, precantes exaudire, à mortuis excitare & ab o-  
mnibus malis eripere posset. 5. Ut justitia comparata infiniti  
esset valoris ac ponderis, pœnaq; exantlata æquivalens æter-  
na. Quemadmodum enim temporalis transgressio eo quod  
offendit infinitum Deum, æternas contrahit & meretur  
pœnas: Ita temporalis Christi obedientia æternam adducit  
mereturq; justitiam, temporaria pœna infinitos aboler tol-  
litq; cruciatus, eo quod infinita est Persona, à quâ præsta-  
tur. Hisce ergò de causis Mediatorem Deum esse oportebat.

XXVI.

Idem autem ex consilio Dei homo factus est 1. Ut pos-  
set mori, sanguine suo captivos redimere, adeoq; pœnam  
ipsarum peccatis debitam luere. Heb. 2, 14. 2. Ut homini  
justitia.



justitia imputaretur, tanquam ab hominis filio praestita. A solo enim Deo praestita nihil ad hominem pertinuisset. Sicut enim primi Adami inobedientia peccatores, sic secundi justitia justis constituitur. Rom. 5, 19. 3. Ut pena tanquam ab homine soluta censeretur, à quo eam persolvi ordo justitiae postulabat. Adami enim filius est, qui panam pro ipso, noster (hominum inquam) frater est, caro & sanguis noster est, qui pro nobis hominibus, mortem gustavit. Eph. 5, 30. Heb. 2, 17. 9. 5. Ut tanto promptior aditus ad ipsius auxilium tanquam fratris nostri pateret, Heb. 4, 15. 16.

#### XXVII.

Sic ergo mediator Dei hominumque, futurus de utriusque participavit naturam, ut terrenis coelestia, coelestibus terrena sociaret.

#### XXVIII.

2. Pro consolatione animadvertatur certo efficacem & sufficientem pro nobis esse Christi passionem, quippe ipsius Patris consilio hunc suum Passorem nominantis susceptam & à proximo ejus sociove praestitam, qui summo apud ipsum loco est & potest omnia.

#### XXIX.

3. Pro admonitione, ut attentas aures, attenta consideratione ejus mysterij pectora praebemus, quandoquidem tam sublimis tanque mirificus est ejus consummator.

#### XXX.

4. Pro refutatione 1. Judaeorum, qui Dn. J E S U M damnabant, ideò quod filium se Dei & ad dexteram ejus exaltandum diceret, imò in cruce pendentem subsannabant, mordaci sarcasmo ei insultantes, *si filius Dei es, descende de cruce*, quasi passiones illae cum honore quem sibi asseruisset neutiquam consentiret: Cum tamen hic propheta



pheta & proximum Patri & gladio peocutiendum prædicat.

XXXI.

2. *Omnium hæreticorum*, vel divinitatem Christi vel humanitatem veram vel utriusq; unionem abnegantium, quales sunt Valentiniani, Samofateniani, Ariani, Photiniani, Nestoriani, Turcæ, & quis omnes enumeret?

XXXII.

Alterum membrum complectitur ipsam passionem Christo obventuram. Quam dupliciter proponit Propheta, i. Pater alloquitur gladium eumq; hortatur per profopæiam, ut excitetur supra Pastorem suum. Sicut aliàs fami, bello, pesti tanquam *ωρσων* tribuuntur in scripturis vocanturq; à Deo ceu apparitores & ministri ad affligendos mortales peccato obnoxios.

XXXIII.

Quomodo autem ais gladium excitat Deus super filium suum, quandoquidem Evangelistæ multarum sanè Christi passionum, Verberum, Vinculorum, flagellationis, colaphorum, spinarum, illusionum, clavorum, crucis, lanceæ & si quid præterea est meminere, nuspiam tamen gladij? R. i. Gladijs fustibusq; armati irruerunt ad comprehendendum Dominum. Et potissimum telum, quo vis & mors inferri solet, gladius censetur. Ergò rectè gladius super Dominum excitatus dicitur, qui mortem & sanè diram mortem subiit.

XXXIV.

2. Gladius in scripturis figuratè significat gravissimum & mortiferum dolorem. Psal. 22, 21. Luc. 2. 35. Innuit ergo Deus se gladio potestatem dare, imò gladium vocare ad percutiendum filium suum virum sibi coherentem, hoc est, se  
filium



filiū maximis & mortiferis doloribus & pœnis improbo-  
rum ( Illæ enim gladij nomine veniunt. Deut. 32, 41. 42. Esa.  
66, 16 ) exponere.

### XXXV.

Deinde hujus gladij licet ab alijs vibrati usurpatiq; ictū  
sibi ipsi diserte attribuit, juxta versionem vulgatam, Pagni-  
num, & repetitionem horum verborum Apostolicam. PER-  
CUTIAM Pastorem, inquit dominus exercituum. At in He-  
bræo est  $\text{פָּרַע}$ , percutere & refertur ad gladium. Unde LXX.  
*πειπαζον τον ποιμνα* accommodatius ad Heb. veritatem, quam  
antea, *ρομφαία ἐξέγερθη ὅτι τὰς ποιμνας με καὶ ἄνδρα πλίττω*  
*αὐτὰ λέγει ὁ κύριος παντοκράτωρ.* Unde (ut hoc obiter ad-  
spergam ) evidens est eam, quæ vulgo circumfertur, LXX.  
versionem nec per omnia cum Hebræis fontibus congruere,  
nec à Novi Testamenti scriptoribus authenticis velut au-  
thenticam stabiliri, cum certum sit multa dicta aliter ab A-  
postolis & Evangelistis recitari, inò & à Justino, Irenæo,  
Clémente Alexandrino cæterisq; Patribus, quam nunc in  
versione *των* LXX vulgatâ legantur. Quapropter eam uti  
nunc exstat Græcam Interpretationem Bibliorum multis in  
locis vitiatam fateri cogimur.

### XXXVI.

Quod autem gladij plagâ sibi ipsi vendicat Dominus exer-  
cituū, confirmat illa, quæ leguntur Act. 2, 23. fuisse Chri-  
stum *τῆ ὤλεσθη βελή καὶ προνώσα τὸ ἦν ἐνδοξόν.* Act. 4, 27.  
convenisse principes sacerdotum facere, quod manus & con-  
siliū Dei ante uti fieret decreverat. Voluit enim Deus  
illum sic contere infirmitate Esa. 53, 10. & obedivit Chri-  
stus Patri ad mortem usq; crucis. Phil. 2, 8. ejusq; volunta-  
tem implevit. Psal. 40, 9.

B 3

Proinde



Proinde pro usu hujus partis concludo hinc 1. Cum Deus nihil in juste faciat, ac tamen ipse Filium suum tam dirâ morte multarit innocentem, subesse necessario aliam causam oportere, cur juste ipsum ita potuerit aut voluerit plectere, nimirum, quam Esaias expressit, quia conjecerat in ipsum peccata omnium nostrum c. 53, 6. ac quia ipse peccata multorum tulit v. 12. & qua non rapuerat exsoluit. Ps. 69, 5.

## XX XVIII.

2. Nihil potuisse in Christum vel Judæos vel gentes, nisi quod pravisum antea, uti fieret fuerat, adeoq; prophetarum ore prædictum. Nec tamen propterea illos fecisse tantum malum, putandum est, quia Deo ita pravisum: sed quia Deus de malis illorum operibus quæ præsciebat tantum elicere bonum cogitabat, idè pessimis illorum cogitationibus, quas ipse non inspiraverat, perversissimis illorum manibus, quas ipse non incitaverat, ad salutiferam filij sui maturationem esse usum.

## XX XIX.

3. Nunc quoq; cum membra Christi à malis percutiuntur malignè, à Deo eisdem percuti justè & benignè. Apud illos plagas ex odio & iniquitate abominandâ, apud Deum ex justitiâ & charitate admirandâ originem ducere. Ab illis referri ad bonorum interitum, à Deo contra ad salutem & profectum, sicut idem in Christo animadvertere est.

## XL.

Deniq; noto hic tam ad internos quàm externos Christi Domini nostri dolores respici. Nam quantum ad corpus attinet, gladijs accincti erant comprehensores & crucifixoies ejus, qui corpus affligebant neciq; dabant. Quantum ad animam, Psal. 22. orat, Erue à frameâ Deus animam meam, de manu canis unicam meam. Ubi animam à framea eripi non peteret, nisi per frameam spirituales angustias internosq; tartareos ani-



ma cruciatus intelligeret. Locus enim iste recte huic *meq. d. q.*  
λ & statuitur.

XL I.

Tria *emulsa* passionum ( quod tertium membrum feci-  
cimus ) tria notantur. 1. Gregis dispersio. 2. Parvulorum mi-  
seratio. 3. Mundi lustratio & expurgatio.

XL II.

De primo mirari cuiquam subeat, cur statim passioni Do-  
minica dispersio subiciatur ovium, cum Johannes Jesum mor-  
tuum scribat & pro populo, & ut dispersos Dei filios in unum  
congregaret cap. 11, s. 2. ipseq. Dominus hoc inter mercenarium  
seque bonum Pastorem discriminis constituat, quod illo pascente  
lupus arripiat & dispergat oves, se pastore animam pro ovibus  
ponente nequaquam? Joh. 10. Resp. Dispersio ovium, hoc  
est, discipulorum Christi ( in ijs enim impletum esse hoc  
verbum testatur ipse Salvator Matth. 26, 31. Marci 14, 27. Jo-  
han. 16, 32. ) ideo primo loco subnectitur passioni, quia pri-  
mum erat ejus consequens futurum. Capto enim Christo  
omnes capiebant fugam Apostoli & dispergebantur ab ipso.  
Factum autem hoc respectu discipulorum quidem, ex infir-  
mitate carnis ipsorum, quæ scandalum patiebatur ex imbe-  
cillitate magistri, quem cum filium esse Dei crederent, ne-  
quaquam tam ignominiosè excipi tractariq; posse sperave-  
rant. Item ex impendente Domini morte sibi de pari exitio  
timebat. Quanquam enim Spiritus Apostolorum prom-  
ptus esset, omnesq; se ad mortem cum Pastore suo subeun-  
dam paratos profiterentur, Caro tamen erat infirma nec  
tentationem istam sustinebat.

XL III.

Nec mirum. Namq; est illa & per se infirma & tanto  
magis infirmitatem labemq; suam experitur, quando vigi-  
lantia & precibus auxilium Domini serio expetentibus de-  
ficiui-



fituitur, inaniq; & stultâ virium suarum fiducia turge-  
scit.

XLIV.

At respectu DOMINI ideò sinebantur labi, ideò dis-  
pergebantur discipuli, ut ostenderetur i. Nihil esse in ovi-  
bus potestatis aut roboris ad ingens certamen illud, quod  
Pastori imminabat decertandum, quippe cujus nec prælu-  
dia illæ sustinerent, sed demissis quod ajunt manibus fuge-  
rent. At peccato per Pastoris mortem deleto, tum demum  
vivificato Pastori convivificari gregem, expiataq; culpâ re-  
portari justitiam sempiternam. Ideò enim statim sequitur,  
*Et convertam manum meam ad parvulos.* Sic ergò dece-  
bat primum ablato pastore & jam cum Deo de reconcilia-  
tione gregis agente dispergi oves, ut demonstraretur, quàm  
miseri, cæci, imbelles perditiq; simus dum à Christo dere-  
linquimur; Contra verò reddito Pastore peractiq; pro  
ipsis sacrificio colligi & refocillari oves, ut Virtus mor-  
tis passionisq; ejus tanquam oculari inspectione patesceret.  
Nam si desit mors & resurrectio Christi, similes per omnia  
sumus gregi disperso, erranti, perditioni exposito. Esa. 53, 6.  
1. Pet. 2, 25. Luc. 15. Per eam autem refecti congregatiq; di-  
scipulis efficimur similes, qui reducem à morte Dominum,  
adspicientes summo veroq; gaudio implebantur. Joh. 20, 20.

XLV.

2. Non absurdè dici credimus ideò dissipatos esse nec  
comprehensos à Judæis Apostolos, ut indicaretur, Pastorem  
occidi, ut viverent oves, Pastorem percuti, ut grex salvus &  
incolumis permaneret, juxta illud Domini Joh. 19, 8. si me  
quæritis, finite hos abire. Nos enim cuncti eramus veluti  
oves errantes, quilibet viam suam spectabat, at Dominus  
conjecit in illum peccata omnium nostrum. Esa. 53.

XLVI.

3. Ut significaretur Christum solum pati sine auxilia-  
tore, Psal. 69, 21. ipsiq; in solidum deberi redemptionem,  
nostram.



nostram. Quorsum aliquos Psalmodum textus miseram  
divini Psalms solitudinem describentes referri à nonnullis vi-  
deo v. g. 38, 12. 88, 9. 19. & similes

XLVII.

Annotari hinc quoque occasione dispersionis Apostolorum, cu-  
jus scandalum causa fuit, potest differentia inter peccata infir-  
mitatis & malitia. Judas enim merà malignitate obduratoq;  
odio agnitum deseruit prodiditq; Dominum: Petrus autem &  
reliqui, carnis imbecillitate & scandalo in peccatum prolapsi  
Dominum etiam mortuum diligere non desistèrunt, quamquam  
amore (uti ex ejus fructibus elucet) admodum languido. Ac  
proinde peccatum Juda longe fuit isto atrocius.

XLVIII.

Notandum igitur & hoc, quod Undecim sanè penitentes  
defectus fideq; refocillati in gratiam à Domino recepti sunt; ille  
vero benedictionis contemptor repudiatus exstinctà prorsus fide  
desperavit. Quod sicuti ijs, qui infirmitatum delictis occupan-  
tur solatio: Ita obstinatis & ad crebram domini admonitio-  
nem obsurdescentibus terrori est.

XLIX.

Quo nomine observandus & à ministris Ecclesia probe  
urgendus est Aphorismus Apostolicus Heb. 3, 12. Videte fratres  
ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis di-  
scedendi à Deo vivo, sed adhortamini vosmetipsos per  
singulos dies, donec Hodie nominatur, ut ne obduretur quis  
ex vobis fallacià peccati. Nam si unquam securitatis veteribus  
excutiendus fuit mortalibus, nunc sanè excutiendus vel maxi-  
mè est.

L.

Interim afflictis conscientijs solatium prabet Apostolorum  
delinquentia, ne & ipsi cum Juda Iscariote in peccatis despe-  
rantes moriantur, cū istos multo sanèdiores lapsos itidem intel-  
ligamus, nec tamen ob id neglectos à Domino aut à venia prorsus  
exclusos.

C

Fra-



## L I.

*Præbet & admonitionem, ne Apostolorum exemplo securitatis somno obruti, precum armis exuti viriumque propriarum fiduciâ tumidi in tentationem incidamus, ejusdemque farditate culpa commaculemur.*

## L II.

Alterum consequens est *Parvulorum miseratio. Et convertam*, inquit, *manum meam super parvulos.* LXX. iterum malè. Ἐπέζη τὸν χεῖρός μου ἐπὶ τῶν μικρῶν. Legerunt forte על-הרעים pro על-הצערים aut uti censet *Justinus Dialogo cum Tryphone* depravata est à *Judæis* ipsa versio, aut à librarijs. Si tamen cuiquam placet honorificentior de istac versione opinio, liceat illâ per me frui, dummodo Hebraicæ veritati ἀποθνήσκει palmam relinquat. Sic ergò suspicari possis, spiritum interpretationis, à quo inspiratos interpretes credidère sanctissimi Patres, quia parvuli isti manu Domini visitandi, sunt Apostoli ijdemque Pastores gregis Christiani, suggestisse vocem μικρῶν pro μικρῶν ἢ ἐξουθενηµένων.

## L III.

Cæterum *converso manus Dei* in scripturis de potenti ejus operatione accipitur, & quidem vel ad vitam salutemque seu in bonam partem, ut *Esd. 7, 6. 9. 28. 8, 18. 22. 31. Pl. 80, 18. 138, 7. Prov. 1, 24. Esa. 1, 25. II, 49, 22. Jer. 1, 9.* vel ad mortem seu in malam, ut *Exod. 7, 4. 5. 24, II. Esa. 9, 12. 17. 21. 10, 4. &c.* In bonam partem h. l. sumi, neutiquam dubito, cum ubivis asserat scriptura Deum erga miseros, afflictos, contritos, parvulos misericordia quam maximè affici. *Esa. 57, 15. 66, 2. Psal. 34, 19. 146, 7. 8. 9.*

## L IV.

Verè autem super istos parvulos benignissimam manum suam convertit. 1. Pacem trepidantibus illorum conscientijs cum remissione peccatorum donando. *Joh. 20. Luc. 24. 2. Spiritum Sanctum & potestatem remittendi retinendique*



diq; alijs peccata conferendo. Ibidem. 3. Verbi sui prædicationibus ubivis locorum cooperando ad salutem & illuminationem omnium gentium. 4. Verbum per subsequencia signa confirmando. Marci 16, 20.

L V.

*Facit hic textus præcipuè ad consolationem & refectionem animarum, qua viles despecta contemptaq; mundo jacent, conscientijs insuper peccatorum prægavata, quales erant Apostolorum clausis januis delitescentium, intusq; & extus nihil non mali formidantium. Quandoquidem Deus hic se tales non abjicere sed singulari salutifera manus sua visitatione dignari testatur? Qua de re multa possent dici, sed non est hic nobis propositum aut locos cõmunes conscribere aut concionari, sed usum tantummodo spiritualis indicium aliquod gustumve præbere.*

L VI.

Tertium ἐπιμόμιον est mundi lustratio seu expurgatio, quam his verbis Propheta proponit. Et erit in omni terrâ dixit Dominus partes duæ in eâ succidentur ac deficient, & tertia relinquetur in eâ. Et ducam tertiam illam partem in ignem, & conflabo eos sicut conflatur argentum, probaboq; eos sicut probatur aurum. Ipse (populus) invocabit nomen unum, & ego exaudiam eum: dixi populus meus ille, & ipse dicet, Dominus Deus meus. LXX. aliter. καὶ ἔσται ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ λέγει κύριος, τὰ δύο μέρη ἐν αὐτῇ ἐξολοθρευθήσονται, καὶ ἐκλείψει, τὸ ἥ τρίτον ὑπολείψεται ἐν αὐτῇ. Quod n. de terrâ dilertè prædicatur in fonte, illud versio de die quæ terram collustrat eloquitur.

L VII.

Divisionem hanc hominum quidam restringunt ad Christianos, eorumq; tres quasi turmas constituunt, Unam constantium & Electorum cruce & calamitatibus à Deo immisissis non deficientium sed proficientium: Alterum eorum, qui hæreticorum & pseudo prophetarum lenocinijs, figmentis, deceptionibus illaqueantur, fidemq; orthodoxam vel agnitam abnegant, vel oblatam respuunt: tertiam eorum, qui malis & persecutionibus ob Christianam veramvé fidem immisissis nequaquam fideliter resistunt, sed gratiam mundi, carnis illecebras, divitias honoresq; impotentius sectando

Evan-



Evangelion Christi deserunt. Ita exponunt D. Lutherus, Osiander, alij. Nec sententia nobis displicet. Franciscus Lambertus, etiam de Judæis intelligit, quorum tertia pars tantum Evangelion ample-  
xa sit. Nimis tenuiter. LVIII.

Addo, convenienter totius mundi lustrationem hic significari, eumq; concinnè ad mentem Zachariæ in Judæos, Gentiles & Christianos distribui, ubi duabus partibus, Judæis puta Christum insectantibus & gentilitati, perniciem ac deletionem prædicat Dominus, Christianis verò conservationem promittat, sed quæ cum castigatio-  
ne & probatione ipsorum salutari conjuncta sit. De qua interpreta-  
tione in ipso Disputationis conflictu plura.

LVIIX.

Neq; v. eâ de re nunc sum sollicitus, ut ignem de tribulationi-  
bus in scripturis accipi demonstræm, cum illud cuius obivium ac  
perspicuum sit. LX.

Nec ut causas cur Deus Ecclesiam suam tot calamitatibus exer-  
ceat, prolixè commemoræm, cum illæ quotidie hoc præsertim lu-  
ctuoso tempore Christiano populo exponi ab Ecclesia doctoribus  
soleant. LXI.

*Breviter tantum noto patere ex b. t. scopum afflictionum ex inten-  
tione Omnipotentis esse longè optimum, expurgationem scilicet peccato-  
rum tanquam fecium, scoriarum & sordium, quibus tentationum igne  
consumtis Christiani argenti auriq; instar puri sinceri & fulgentes eva-  
dant coram Deo Angelis omnibusq; Electis. 1. Pet. 1, 6. 7. 4, 12. 13. Sap. 3,  
5. 6. Sirac. 2, 5.* LXII.


*De serijs verisq; precibus & promptâ earum benignâq; exauditione  
luculentum quoq; hic textus dicit testimonium. Sed ne nimis latè va-  
gemur, præstat reliquas doctrinas in præsens omitttere & commodiori loco  
ac tempori reservare.* LXIII.

*Interim oro Deum pacis, qui ex mortuis eduxit  
pastorem ovium magnum in sanguine testamenti  
aterni, Dominum nostrum Jesum Christum, ut  
aptet nos in omni opere bono, ad faciendam volunta-  
tem ejus, faciens in nobis quod placeat in conspe-  
ctu suo per Jesum Christum, cui est gloria  
in secula seculorum, Amen.*











diq; alijs peccata conferendo. Ibidem.  
tionibus ubivis locorum cooperando a  
nationem omnium gentium. 4. Verbu  
signa confirmando. Marci 16, 20.

LV.

*Facit hic textus praecipue ad consolatio  
animarum, qua viles despecta contempta  
scientijs insuper peccatorum praegravata  
lorum clausis janua delitescunt, in  
mali formidantium. Quandoquidem De  
cere sed singulari salutaris manus sua vis  
tur? Qua de re multa possent dici, sed no  
tum aut locos communes conscribere aut co  
tummodo spiritualis indicium aliquod gu*

LVI.

Tertium ἐπιμύθηον ἐστὶν mundi lustratio seu  
verbis Propheta proponit. Et erit in omni te  
res duæ in eâ succidentur ac deficient, & ter  
ducam tertiam illam partem in ignem, & co  
tur argentum, probaboq; eos sicut probatur  
invocabit nomen unum, & ego exaudiam e  
ille, & ipse dicet, Dominus Deus meus. LX  
ἡμέρα ἐκείνη λέγει κύριος, τὰ δύο μέρη  
ται, ἡ ἐκλείψει, τὸ ἴδιον ἑσθλὴν φησὶν  
râ disertè prædicatur in fonte, illud versio d  
strat eloquitur.

LVII.

Divisionem hanc hominum quidam  
nos, eorumq; tres quasi turmas constituunt  
Electorum cruce & calamitatibus à Deo i  
sed proficientium: Alterum eorum, qui  
prophetarum lenocinijs, figmentis, dece  
fidemq; orthodoxam vel agnitam abnegant  
tertiam eorum, qui malis & persecutio  
veramvé fidem immittis nequaquam fidelit  
mundi, carnis illecebras, divitias honores

radica-  
illumi-  
quentia

tionem  
nt, con-  
Aposto  
hil non  
non abji-  
ri testa-  
i propos-  
usu tan-  
ere.

quam hi  
inns par-  
in eâ. Et  
ut conflu-  
populus )  
ulus meus  
ταυ ἐν τῷ  
δρ & ἡσ-  
In de ter-  
am collu-

Christia-  
nium &  
eficientiū  
& pseudo  
queantur,  
respuunt:  
istianam,  
d gratiam  
sectando  
Evan-

